

Letter 301: 15 August 1526, Strasbourg, Capito to Georgius Spalatinus

A copy of this letter is in Bern SA, B III 72, fol. 13-14 Ep. Var. XVII (cf. the transcription in TB II, p. 277).

Gratiam Christi tecum, charissime Spalatine.

Magno gaudio nostram ecclesiam affecit te esse in aperta professione verbi. Nam de te praedicant miram constantiam et virtutem Domini, macte pietate, sic professio fit ad salutem. Laetor equidem singulariter de hoc quod gloria Domini in ista ancipiti pugna palam obtineat. Nam obtinuit plane ubi citra metum fidem fateantur, qui ex eo malis scilicet [?] hominem formidare possint. Annitere, mi Domine ac frater, ut inter nos humiliores concordia sit, quae constabit sane ubi utrinque ad praecipuum scopum, ad fidem in Christum provocaverimus. Fateor in scripturis meam scientiam effugere plurima, sed scimus omnes quod satis est. Nempe *qui credit is habet vitam aeternam*. Quare igitur attinet, tragicis clamoribus in mutuam perniciem viro in veritatis contumeliam eferlescere? Profecto nemo me in arenam unquam provocabit nisi periculum sit de fide aut de charitate, ad quam regulam Paulus docet universam scripturam enarrandam; hanc nos mordicus innitatur, reicientes quidquid huc non fecerit. Deo teste ex conscientia agimus neque nostri causa deprecatur publicam discordiam ministrorum. Tantum formido est, ne quid ex nostra imbecillitate detrimenti contingat gloriae Domini. Verum ille vivit et regnat, autor rerum omnium quod sibi visum est nobiscum agat.

Mitto libellum tibi quo Fabro impudentissimo respondeo; ago causam nostram apud principem. Mi[hi] ut scribere[m] fuit animus sed excidit titulus, nam solita reverentia monarche sunt salutandi. Tu Fabri vanissimi impietatem nobiscum impugne; id feceris, excusatis ex virili [?] fratribus huius viciniae, quos atrocissime proscindit flagitiosus ille impostor. Modo quae in Lutherum evomuit gustum referet; aliquis scholasticis excerpto, quae testando suam pret[... ] impie designavit. Nam adulatur suos praeter officium Christiani. Rescribe obsecro. Argentinae 15 Augusti anno 1526.

V. Fabritius Capito

Islebium symmysten nostrum saluta in Domino plurimum, cui precor accessionem gratiarum Domini tanquam dilecto fratri.